MONUMENTUM HONORIS ET MEMORIÆ

VIRO

EXCELLENTI ERUDITIONE ET INSIGNI PIETATE VIRTUTUMQVE GRAVITATE CLARISSIMO

D. M. GEORGIO WENDIO,

Gymn. Thorunienſis hactenus RECTORI famigeratiſſimo,

Anno M. DC. XXXV. die XVIII. Aprilis Wratislaviæ nato;
An. M. DCCV. d. VII. Julii è ſtatione ſua inter preces lacrymasqvè circumſiſtentium evocato,
&
In Æde D. Mariæ honorificentiſſimis Ceremoniis Dom. V. Trinitatis tumulato,

erigere conati ſunt

PROFESSORES, VISITATORES, ET COLLEGÆ GYMNASII PRÆDICTI.

THORUNII,
EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.

VENDIUS ingenuas coluit jam! sedulus artes,
Gymnadis & nostræ portio prima fuit.
Qvin rexit dextre, docuitqvè fideliter Urbis
Palladium nostræ, Pieriosqvè choros.
Aonios inter meruit qvoqvè nomen olores,
Qvos genuit Teuto (*a*) Fructiferosqvè vocat.
Egregias variis vites plantavit in oris,
Et posuit, (*b*) *Plantans* inde vocatus erat.
Annos ante decem nostram cum viseret Urbem,
Ipsi sunt nostræ tradita sceptra Scholæ. (*c*)
Gymnasii vix non qvingentos intulit Albo,
Extera qvos tellus, nostra vel alma tulit.
Qvicqvid sacra docent monumenta, docentqvè profana,
Hæc Auditori tradidit ille pio.
Qvicqvid Roma docet, qvicqvid docuistis Athenæ,
Noverat, ac animo condidit ille suo.
Qvicqvid Germani, gentes aliæqvè sciebant,
Noverat, & facili dexteritate dabat.
Illius ad tumulum merito Parnassides udas
Effundunt lacrymas, Pallas & ipsa gemit.
Illius ad tumulum succrescit Apollinis arbor,
Cum violis crescunt Lilia, cumqvè rosis.
Vos qvoqvè Vistulides Musæ lugete peremptum
Rectorem, vestri deliciumqvè gregis.
Non est de nihilo, cum Templis atqvè Lyceis,
Doctus Dux illis, his & Apollo deest.
O qvi Templorum curam geris atqvè Scholarum,
Respice nos vultu candidiore, rogo,
Et tempestive dones Templisqvè Scholisqvè
Statores, tua laus ut revirere qveat!
Vos autem vestri qvid fletis fata Mariti, Parentis,
Qvem tulit è medio mortis avara manus?
En! vivus superest, meliori parte superstes
In cœlis animâ: nomine clarus humo.
Nil in præclaros Musarum juris Alumnos
Mors habet: à Musis doctus obire neqvit.

Inter publicos privatosqvè gemitus, qva potuit,
dedit honoris & solatii ergo

M. MARTINUS Böhm.

(*a*) An. 1670. d. 4. Octobr. B. Dn. Rector in Palmiferum ordinem à Serenissimo Saxoniæ Duce, Augusto, est receptus, & *Plantantis* nomine condecoratus; de cujus ordinis origine, incrementis, usu, & statutis vid. *Georgius Neumarck*, Sereniss. Saxon. Ducum qvondam Secretarius intimus, & Imperialis Archivarius im Neusprossenden Teutschen Palm-Baum Vinariæ A. 1668.

(*b*) Officia publica, qvæ νῦν ἐν ἁγίοις extra Thorunium obiit, fuere hac in epitome. (1) fuit Con-R. Oelsnensis. (2) Prof. Mathem. in Gymn. Elisab. Wratisl. (3) Prof. Philos. Pract. Histor. & Eloqv. in Gymn. Magdal. ibidem. (4) Professor & Director Collegii Duc. Oels. & Insp. Scholæ Oppidanæ. (5) Rector & Inspector Lycei Laubanensis.

(*c*) An. 1695. d. 16. Junii.

Fin-

FIngite mortales paſſum mortalia nunqvam!
Si verè talem dicere nemo poteſt.
Firma manet vivis cœlo ſententia lata:
Flos, pulvis, fœnum eſt omnis in orbe caro.
Non obſtat, qvòd vel ſanctorum biga Virorum
Corpore cum ſolido ſcandit ad aſtra poli;
Vel qvòd in occurſum vivi Domino rapientur,
Extrema vivent qvotqvot in orbe die.
Non eqvidem mortem, mortis ſimulacra ſed illi
Paſſi ſunt qvondam, compatientur & hi.
Mutabuntur enim cuncti, licet haud morientur
Hoc per diſcrimen corporis ac animæ.
Qvid dico? moritur qvivis, dum vivere cœpit:
Ad mortem cuivis langvida vita via eſt.
Vita qvid eſt hominum triſtis qvàm mortis imago?
Vita qvid eſt aliud qvàm dolor atqve labor?
Deniqve mors agmen claudit matura malorum.
Pluribus hoc verbis nolo docere modo:
WENDIUS en loqvitur longè celeberrimus uſqve,
Et ſemper celebris ſecula donec erunt.
Doctorum meritus dici decus Ille Virorum,
Delicium qvondam Principum & Ille fuit.
Omnibus alloqvio lingvæ ſvaviſqve graviſqve
Non potuit magnis non placuiſſe Viris.
Hæc qvoqve cauſa fuit, cur in patriis aliisqve
Sit juſſus pubem ritè docere Scholis.
His in multa tulit patiens fecitqve decenter,
Conſumptis donec viribus hinc abiit.
Unus erat fructus tanto aſſveviſſe dolori,
Ac inter morbos tot didiciſſe mori.
Nunc autem curſum vitæ cùm ritè peregit,
Cœlicolas inter præmia magna capit.
Dedidicit tutus jam ſpemqve metumqve futuri:
Nec privata premunt, publica nec mala Eum.
Ergo decet nos illicitum qvoqve ponere luctum,
Nunc qvòd & in cœlis Ille beatus ovat.

Lugens ſcr.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS, P. P. & Viſc.

TRiſtia Gymnaſii Rectorem ponere pennam
Atqve Scholæ Cathedras linqvere fata jubent.
Scilicet hæc aliis lucendo fulgida lampas
Viribus abſumptis attenuata cadit.
Lumina vibravit ſua, Doctis qvando placebant
Scripta polita ſatis dictaqve docta Viri.
Eluxit: Gregibus Jovæ Muſæqve ſacratis
Doctrinæ monſtrans & pietatis iter.
Nam donis Natura Virum donaverat amplis,
Artibus & ſtudiis omnibus auctus erat.
Vis heroa Ipſi dicendi, mentis acumen
Divinæ, lingvæ gratia mira fuit.

Et

Et licet ereptus ſit terris Rector Amatus,
Luce tamen reliqvus fulget in orbe ſuâ.
Fax nimirum extincta, minus periiſſe videtur,
Inflammans alias ante ſuos cineres.
Multùm qvæ debent Rectori Lumina paſſim
Splendent: hæc ſiſtunt Curia, Templa, Scholæ.
Qvid? qvod in æternô Paradisô ſideris inſtar
Rector Honoratus perpete Luce micat.

HEINRICUS Würffel/ Gymn. Coll.

NUh wohl Hochwehrter Mann/ der Haare Silber-Schnee/
Der mit Gelehrſamkeit höchſtrühmlich ausgezieret/
Hat deinem GOtt beliebt. Drumb hat Er zu der Höh/
Die reine Seele nun aus dieſer Welt geführet.
Es ſeuffzet zwar nach Dir der Muſen ſchöner Hauff/
Sie bringen Lorbern her/ zu ſtreuen auff die Bahre.
Sie wünſchten Neſtorn gleich Dir die entſeelten Jahre.
Und ſetzen Thränende Dir rühmlich dieſes auff:
Ob gleich Herr Wendens Leib man in die Grufft wil ſencken/
Verbleibet doch in uns ſein rühmlich Angedencken.

JOHANNES WIGULÆUS Freißlich/ Cant. & Coll. Gymn.

QVidqvid ubiqve vides: Cœlum, mare, nubila. tellus,
Cernere cuncta petunt ultima qvâqve die.
Qvid magis eſt ſolidum ſaxô? qvid marmore? Verùm
Mors etiam ſaxis marmoribusqve venit.
Aſpera non poſitis miteſcunt ſecula bellis;
Aurea concedunt ſecula ferrigenis.
Omnibus hic modus eſt, cunctos manet exitus ingens;
Et nobis fixô tempore finis adeſt.
Non vigor ingens, congeries non magna metalli,
Non qvæ terrigenis forma venuſta placet,
Non qvæ perpetuô venit qvæſita labore
Calliditas, mortis tollere fata valent.
Si ſtudium potuiſſet acerbum ſiſtere lethum,
Rectoris nondum fata peracta forent.
Pruſſia non dedit huic primam cognoſcere lucem;
Sed juſſit famæ Pruſſia luce frui.
Patria dat vitam, rarò largitur honores,
Hos melius ſvevit terra aliena dare.
Hic erat idem, qvem meritò celebrare tenetur,
Atqve ſeqvi cunctus, qvi ſtudet eſſe probus.
Omnia qvæ fecit, dixit ſenſitqve beatus,
Expectat nigra poſt fata ſuperſtes honos.
Integritate, laboreqve duratura perennes
Laudandô ſtruxit juſta ſepulchra dies.
Sepoſitis agitat gravibus jam gaudia curis
Ætheris in ſpatiis, eſt ubi certa domus.
Vive valeqve ſenex rerum fandiqve perite
Æternos annos. Sit tibi terra levis!
Nemo te lacrymis decoret, nec funera fletu
Turbet! Cur? Volitas viva per ora Virûm.

JOSUA GALLASIUS, Gymnaſii Collega.

REctor eras WENDI! Rectoris ſceptra tenebas,
Atqve Corona Scholæ, Lausqve, Decusqve pium.
Maxima cura fuit Tibi demandata, ſtudere,
In Spartâ ut vigeant, corda pudica DEO.
Tempore conatus ne qvo puerlis aberret,
Rexiſti innocuas, dexteritate vias.
Neve DEI ſine luce vagi dubiive ferantur,
Tu docuiſti animos, arte tuâ juvenum.
Qvod gratum officium Patria ac Urbs Thorunienſis
Aſſiduò ſenſit non ſine luce tuum.
Qvàm jucundus eras doctis, pueris & amicis,
Vox tua qvæ ſonuit, dulcis in aure fuit.
Promotor ſtudiorum, Muſarumqve Patronus,
Ore tuo fluxit lympha beata DEI.
Eheu! completo ſeclo te RECTOR Olympi,
Nunc vocat & ſanctâ ducit ad aſtra viâ.
Spernis dulce bonum in terris, cœleſtia ſectans,
Et retines lætus, de bonitate DEI!

FRANCISCUS BLOECHERT, Gymn. Coll.